



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archiepiscopo & Capitulo Beneventan.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

CONSVLIBVS ET POPVLO
Beneven.

Epist. 156.
Ne unius judi-
cis testimonio
credatur in cau-
sa.
Cap. Cùm à no-
bis. De testibus.

Cum à nobis petitur &c. usque ad ver-
bum assensu, & canonica & civilia
jura sequentes, districtius inhibemus,
ne unius judicis, quantæcunque fuerit
auctoritatis, verbo credatur in causis, si-
ve super testamentis, sive super quibuslibet
aliis contractibus agitentur, nec
scriptum eorum, nisi testium adminiculo
fulciatur, eam obtineat firmitatem,
quin ei possint & debeant duorum vel
 trium testium bonorum testimonia præ-
valere. salva in omnibus apostolica se-
dis auctoritate. Nulli ergo &c. Datum
Romæ apud sanctum Petrum IV. Idus
Iunij.

CONSVLIBVS, IVDICIBVS,
& populo Beneven.

Epist. 157.
De palatio ju-
dicum & tabel-
licum statuti
confirmat.

In dilectione civitatis vestræ ac ve-
stra prædecessorum nostrorum vo-
lentes vestigiis inhærere, ut & vos in
progenitorum vestrorum devotione,
quam circa sedem apostolicam habue-
runt, ferventiùs de cetero & fidelitùs
persistatis, quæ ad profectum vestrum
proveniant sine honoris nostri dispen-
dio gratis vobis & tam libenter quàm li-
beraliter indulgemus. Sanè exhibitum
fuit quoddam scriptum in præsentia no-
stra, in quo capitula quædam erant ex-
pressa, quæ de communi omnium ve-
strum assensu nostris petebatis literis
confirmari: de quibus nos quædam ex-
cepimus, quæ juxta votum vestrum vo-
bis duximus concedenda. Cùm ergo à
vobis sit communiter constitutum ut ju-
dices pro salario nihil accipiant ultra
vigesimalitris, nec de subscriptione te-
stamentorum vel aliis contractibus ju-
dices ipsi à civibus plusquam duostare-
nos, aut notarij nisi unum, extra civita-
tem autem judices centesima, notarij
verò ducentesima sint eorum quæ testa-
mento legantur, aut quocunque modo
veniunt in contractum, portione con-
tenti, vestris precibus annuentes, id, si-
cut à vobis est communiter postulatum,
concedimus, confirmamus, & præsentis
scripti patrocinio communimus. Præsen-
ti quoque confirmationi adjicimus, ut
si quando curia sub certo banno inhi-
buerit fieri assemblatas, hi qui contra-
venire præsumpserint, bannum sine di-
minutione persolvant, exceptis ministe-

rialibus curiæ, quos juxta mandatum
Reactoris, qui pro tempore fuerit, pro
commodis civitatis volumus, cùm ne-
cesse fuerit, & Reactor mandaverit, con-
venire. salva in omnibus sedis apostoli-
cæ auctoritate. Nulli ergo &c. Da-
tum Romæ apud sanctum Petrum V.
Idus Iunij, Pontificatus nostri anno
primo.

ARCHIEPISCOPO
& Capitulo Beneventan.

In admirationem inducimur vehe-
mentem quòd apostolica mandata
contemnitis, cùm pro eorum receptio-
ne preces vobis ab eo qui potestatis plenitudo
obrinet diriguntur, ex quibus
non minus honoris Ecclesiæ vestræ ac-
cederet, quàm ex hoc utilitatis ipsis &
commodi proveniret. Cùm enim bonæ
memoriæ Celestinus Papa prædecessor
noster te, frater Archiepiscopo, apud
sedem apostol. constitutum, per se du-
xerit exhortandum, & vobis, filij Can-
onici, preces, ac secundò communiter vo-
bis mandatum apostolicum destinavit,
ut dilectum filium Albertum Subdiaconum
nostrum, dilecti filij nostri G. sancti
Georgij ad velum aureum Diaconi
Cardin. Clericum, reciperetis in Can-
onicum & in fratrem, vos implere id ha-
ctenus distulistis, cùm id etiam solius
ejusdem Subdiaconi bonitatis intuitu de-
buissetis effectui mancipare. Nolentes
igitur quod de ipso inceptum est relin-
quere imperfectum, rogamus discretio-
nem vestram, monemus, ac per ap. vo-
bis scripta præcipiendo mandamus, qua-
tenus ipsum in Canonicum recipientes
& fratrem, stallum in choro & locum in
Capitulo appellatione postposita confe-
ratis; & tu, frater Archiepiscopo, con-
veniens ipsi vel nuncio ejus ipsius no-
mine beneficium sine dilatione assignes:
mandatum apostolicum taliter imple-
turi quòd propter hoc denuo scribere
non cogamur, aut implere per alios
quod vos nolueritis effectui mancipare:
scituri quòd sicut nolumus injusta
præcipere, sic cùm honesta mandamus,
cupimus celeriter & efficaciter exaudi-
ri. Datum Romæ &c. Idibus Iunij
&c.

Epist. 158.
Vt Albertum
Subdiaconum
in Canonicum
recipiant.

